



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XIII. De presbyteris agrorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

euidenter arguatur, talis ad ministerium cleri venire non poterit. Si vero post ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam conuenit. Quod si cum illa conuixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.

IX.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato prouehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste nequiverit, potestatis suæ iudicio relinquatur.

X.

Simili modo etiam diaconus si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

XI.

Presbyter ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus, sed hoc tempus obseruet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.

XII.

Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoueri, quod non ex proposito fides eius, sed ex necessitate descendit: nisi forte propter sequens studium eius & fidem, atque hominum raritatem, talis possit admitti.

XIII.

Presbyteri rursus in Ecclesia ciuitatis, Episcopo

præsente vel presbyteris vrbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam Septuaginta videntur esse: vt comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur.

ANNO
CHRISTI
314.

XIV.

^h Diaconi septem debent esse iuxta regulam, licet & valde magna sit ciuitas. Idipsum autem & Actuum Apostolorum liber insinuat.

Ad. 6.

C A N O N E S

CONCILII NEOCÆSARENSIS.

Ex interpretatione Isidori Mercatoris.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|--|--|
| I. De presbyteris, quod uxorem ducere non debeant. | VIII. Vxoris adultera virum, clericum fieri non debere. |
| II. De muliere, duobus fratribus nubere non licere. | IX. De presbyteris corporali peccato praecipatis. |
| III. De his qui multis nuptiis communicauerunt. | X. De diaconibus corporali peccato praecipatis. |
| IV. De concupiscentia non consummata. | XI. De presbytero minus triginta annorum minime ordinando. |
| V. De catechumenis peccantibus. | XII. De his qui in egritudine sunt baptizati. |
| VI. De pregnantibus baptizandis. | XIII. De presbyteris alterius regionis. |
| VII. Presbyteros in secundis nuptiis non debere orare. | XIV. De diaconibus septem. |

C A N O N E S.

I.

PRESBYTER si vxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus